

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

He . 21.

PALÆSTRA SEXTA
THEOREMA-
TUM POLITICORUM,

De
Possessione Felicitatis
Civilis,

Quam,
Adspirante DEO,

Consensu Amplissimi Ordinis Philosophici,

IN ILLUSTRIBUS ALBERTINA,

Publico Examine sistunt,

PRÆSES

JOHANNES GEORGIUS à Böhren /

Nobil. Prusus & Philosoph. D.,

Et

RESPONDENS

BALTHASAR Köhner /

Reg. Pruss.

Ad d. Aprilis, locò horisq; consuetis

Anno 1673.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI

PALÆSTINA SEXTA

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ

THEBÆIDÆ



Bonó cum DEO!

I.



Uum jam expediverimus, quomodo Summū Bonum comparetur, in præsentī, quando comparari possit, curatius videndum est, in hâc vitâne an post mortem? Disceptandæ huic quæstioni occasionem excitavit dictum illud Solonis, quod ipse Cræso commendavit: *neminem, videlicet ante obitum felicem nominandum.* Videatur Herodotus l. 1. Plutarchus in Solone. Plinius lib. 7. c. 40. Laertius lib. 1. de vitis Philosophorum, in vitâ Solonis. Quod dictum, multorum tam Græcorum, quàm Latinorum subscribe consensu, magnam obtinuit probabilitatem. Hoc dictum quoque fecit suum, post Sophoclem in principiò Trachiniarum, Euripides in Troadibus, dum dixit: *neminem inter felices nominari contingere, priusquàm mortuus esset.* Nec ab eo abludit, quod Ovidius aliquo locò habet:

*Sed scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est, dicitque beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.*

Neque, quod Juvenalis Satyrâ 10.

*Festino ad nostros, Et Ponti transeo regem,
Et Cræsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vite.*

Ausonius quoque in sententiis septem sapientum ex dictò Solonis ita loquitur:

Expectare Solon finem docet ortus Athenis.

Apud eundem, Solon ita loquens introducitur: *Dico tunc be-*

A 2

tant



tam vitam, cum peracta facta sunt. Arrianus quoque lib. 7. de Expeditione Alexandri se huic attemperat dicto, dum ita disserit: *Cujus rei causa Solonem Cræso suasisse verisimile est, ut longæ vitæ exitum spectaret, neque prius mortalium quemque felicem judicaret.* Conferri potest & Maximus Tyrius Dissertat. 35. Theodoretus Serm. 5. de curand. Græcor. adfect. & alii aliquam multi, quorum jam mentionem non facimus. Quid verò Solon eodem dicto voluerit, haud facile dixerim. Quippe idem duplicem habere potest sensum & explicatum. Unus, qui ex eodem extundi potest, sensus est, *quod tum beatus sit, cum mortuus homo est:* alter, *quod tunc demum possit dici felix aliquis fuisse, cum excessit à vitâ.* Qui explicatus non sunt in promiscuo habendi, aliud enim est, *post obitum esse beatum, nempe in morte,* aliud, *fuisse beatum, nempe in vitâ.* Magna est absurditas, post obitum hominem statuere beatum: beatitudo enim practica est *ἐνέργεια*, seu operatio virtutis, quod alibi fuse demonstravimus. Jam verò mortuus secundum virtutem operari non potest, quippe talis operatio est animæ rationalis, anima verò rationalis, ut quæ à temperamentò corporis dependet, non est amplius in mortuò. Quod considerans Maximus Tyrius disert. 5. *Nihil omninò, ait, agere, cui conveniat, nisi mortuo?* Quam argumenti vim Philosophus ita proponit: *Si hoc ita esse ponamus, beatus est aliquis, cum excesserit vitâ? at hoc quidem est prorsus absurdum dictu præsertim nobis, qui beatitudinem actionem, quandam esse dicimus lib. 1. Eth. c. 10. §. 3.* Et ex eo Eustratius: *Nam si post mortem homo omni operatione vacat, quomodo ei, qui operari non potest, adesse poterit felicitas, quæ operatio definita est? vel enim operationem habebit, qui operatione prorsus privatus est: vel felicitate absente felix rectè appellari non poterit.* Comment. in lib. 1. Eth. c. 10. §. 3. Equidè & gentiles quidam agnoverunt, quòd

quòd hanc vitam laudabiliter peractam sequatur aliqua felicitas, quæ major sit, quàm fuit hujus seculi. Quemadmodum Plato in Gorgiâ legis alicujus mentionem facit, quâ sancitum est, ut quicumque homines justè pièque vitam egissent, quum è vitâ migrarent, ad beatorum insulas profecti, in omni felicitate viverent, à malis longè se juncti; qui verò injustè impièque vixissent, in justis supplicij carcerem, quem appellant Tartarum, irent. Et rursus alio aliquò locò ait: Neque filios tuos, neque vitam, neque aliud quicquam pluris facias, quàm justitiam, ut, quum in alteram vitam transmigraveris, valeas illic præsidibus hominum omnium reddere rationem. Verùm illa felicitas non est practica, sed potiùs vitæ practicæ præmium, quod ex verbis Platonis facilè patescere potest. Quæ explicatio dicti non videtur Solonis fuisse, sed potiùs hæc, quòd turc demum quispiam in vitâ felix fuisse dici possit, cum jam ipse defunctus sit. Id quod inde explicari potest, primò quòd Solon, Atheniensium legislator, non solùm felicitatem posuit in bonâ vitâ, sed etiam in perseverantiâ vitæ bonæ usque ad ultimum halitum. Id satis testatum facit ipse Cræsus, cui Solon dixit, neminem ante obitum esse beatum: nam cum ipse, fortunæ indulgentioris usurâ clatus, sententiam Solonis contentim habuisset, & verò, procedente tempore, captus fuisset, pyræque, ut comburatur, miserè impositus, intelligebat, hominem non posse esse beatum, nisi vitâ bonâ constet usque ad mortem, proinde, cum se inter fortunæ deficientis lapsum, planè miserum agnoscere cogeretur, Solonem de veritate sententiæ suæ laudavit. Videantur suprâ citati Auctores. Quod verò quomodo fieri potuisset, nisi Solon felicitatem in perseverantiâ bonitatis vitæ usque ad mortem collocasset. Quod & illorum quidam, qui sententiam Solonis approbârunt, innuere videatur. Dionysius Tyrannus in Lædâ ait:

Nullus unquam hominem mortalem beatum judicet, antequam bene defunctum viderit. Herodorus lib. I. adserit: Nondum beatum te appello, priusquam bene vitam defunctum te audiero. Quibus qui uti non potuissent verbis, nisi felicitatem in constanti ad mortem usque vitæ bonæ tenore positam judicassent. Quod etiam Eustratius non obscure indicat, quando ait: Solon eum, qui bene vitam traduxisset, beatum esse appellandum censuit. Comment. in lib. I. Ethic. cap. 10. §. 4. Hanc Solonis fuisse sententiam, ex ratione, quam Solon causatus est, ad oculos patescere potest. Ratio verò ejus hæc fuit, cur aliquis post obitum cum tutò felix dici possit, quia quamdiu vivit, propter varias fortunæ conversiones, ex optimò statu in calamitosum delabi potest. Eandem rationem inducunt, qui Solonis sententiam sequuntur, veluti Dionysius Tyrannus locò citatò, post suprà allata verba, hæc adjicit: Mortuum enim laudare, tutum est. Nec eandem rationem dissimulat Simonides, homo, inquit, existens, nunquam dixerit id, quod futurum sit: fit enim citius, quàm muscæ, mutatio conditionis hominis. Quod si Solon propterea negavit, hominem ante obitum dicendum beatum, quòd homo in vitâ continuis malorum & infortuniorum motibus concuti possit, & propterea tenor ejus vitæ bonæ interrumpi: non obscurum esse potest, quod ex sententiâ Solonis homo post obitum tandem tutò dici possit, quòd in vitâ felix fuerit, ut qui in vitâ fortunæ & malorum vicibus expositus fuit, supra quas post mortem evectus est. Quod & Aristoteles aperte docet, dum ait: Nec nos eum beatum dicimus, qui mortuus est, nec Solon hoc voluit, sed tum denique hominem verè & tutò predicari posse beatum, tanquam jam extra omne malorum & infortuniorum discrimen positum lib. I. Eth. c. II. (10.) Verùm hoc simpliciter approbandū non videtur, quòd mortuus extra omnes malo-

malo-

malorum & infortuniorum casus sit positus, quia illorum sensu caret. Nam non statim quispiam extra ea mala & infortunia est, quorum sensum non habet. sic & homo vivus potest mala quædam accipere, quæ non per sentiscit, verbi gratiâ, si nec suo meritò, neque non eo nescio, mala de eodem inter multos circumferatur fama, quam, utut non sentiat, pati tamen cogitur. Quidni & aliquid mali posset accidere cuipiam, licet idem non sentiat: quemadmodum & eidem aliquid boni obvenire potest, utut ejusdem sensum non habeat. Neq; his Aristoteles, si eundem ferre velis judicem, obstabit, ita enim ipse: *Nam si etiam ei, qui vivit, neq; sentit, aliquid malum & bonum est. Aliquid videtur esse & mortuo: ut honores & ignominia & liberorum, & omninò posterorum res secunda & adversa lib. 1. Ethic. c. 11. (aliàs 10.)* Et ex eo Eustratius comment. in hunc locum: *Sicut enim honores nepotum & successus ad mortuum spectant, ita quoque ignominia & infortunia.* Quod si sic, neq; post obitum homo ex illâ sententiâ beatus dici posset. Enim verò, si, quòd propter fortunæ inconstantis vices beatitudo instabilis sit, homo non dicendus sit beatus: neq; post obitum, ut qui etiam tunc fortunæ vicibus subiectus est. Verùm quæ est hæc absurditas, dicere, hominem ad fortunæ casus commutari posse, & in obitu demum hominem esse dicendum beatum: Sic enim fieri potest, ut unus idemque nunc beatus sit, nunc miser. Nam si quis beatus esset, qui usque ad senectutem vixisset, & mortuus fuisset postea secundum convenientiam ac proportionem suæ beatitudinis, ut ne quidē in fine quippiâ adversi ei obvenerit: fieri tamē potest, ut multæ mutationes in posteris ac nepotibus contingant, ut alii boni sint, alii mali: sæpe enim liberi suâ culpâ à moribus parentum proborum deciscunt, quod & Aristoteles lib. 1. Rhetor. docet exemplò liberorum Themistoclis, Periclis & Ci-

& Cimonis. Jam quia mala liberorum ac nepotum ad eundem spectent, & ad ejusmodi mala mortuus commutetur: evidens est, ut mortuus modò felix, modò miser efficiatur. Quod verò est contranaturam beatitudinis, ut quæ est bonum stat ile. Hoc indicare studet Philosophus, quando citat: locò ita pergit: *Fieri enim potest, ut, quem vita beata usque ad senectutem prosecuta sit, & qui supremum vitæ diem convenienter acta & jam ætati obierit, eum multa in posteris mutationes & varietates excipiant: hoc est, ut cum alij eorum boni sint, vitæque eâ, qua digni sunt, potiuntur, aliis eorum planè diversum accidat. Adhæc varia quoque posterorum, à majorum moribus & virtute discedentium, discrimina existere solent. Atque hîc absurdum certè fuerit, si unà cum eis mortuus quoque commutetur, fiatque nunc beatus, nunc contrà miser. Rursus absurdum fuerit etiam illud, res posterorum nihil, ne ad ullum quidem usque tempus ad parentes pertinere. lib. I. c. II (aliàs 10.) §. 6. 7. 8. & sequentibus.*

§. 2. Si rectè & ordine sententiam Solonis evertere velimus, necesse est ostendi, Beatitudinem dari ante obitum. Absonum est, adjudicare aliquid alicui, cum idem antè adfuerit; & cum verè adesset, non adjudicare. Etenim quicquid verè dicitur fuisse, necesse est, idem aliquando verè dici potuerit. Exempli gratiâ: Si verum est, Platonem fuisse Philosophum, & hoc jam licet in rei veritate dicere, utique & dicere aliquando licuit: Platonem esse Philosophum. Quomodo ergo post obitum quis dici Potest fuisse beatus, si in vitâ propter imminetia mala nunquam beatus prædicari potuit. Quò respiciens Philosophus, dicit: *Numne absurdum fuerit, cum quis beatus est, tum id, quod in eo est, de ipso non verè dictum iri. lib. I. Eth. c. II. (aliàs 10.) Quomodo enim non est absurdum, ait Eustratius Comment. in hunc locum, Si quis finem expectans felicitatis*

felicis alicujus, eum post finem beatum dicit: non quòd tunc sit beatus, sed quia priùs fuerit. Ut ille, qui ait, inesse id, quod adfuit, quando non inest, verùm minimè dicere videatur. Secundò si beatitudo ad quemvis fortunæ flatum commutaretur, tum beatus similis esset Chameleonti, docente Philosophò lib. I. Eth. cap. II. quod est Africae & Indiae animal quadrupes, exangue, lacertæ magnitudine, gravi tardòq; ingressu, præ altis cruribus innixum, leonis æmulum, & hianti semper ore. Similis, inquam, esset chamæleonti, id est, foret inconstans ac varius. Propterea verò chamæleon signū inconstantiæ est, quòd nunc hunc, nunc illum colorem imprimis in metu referat, & colores pro lubitu migrare possit. Quippe omnes colores dicitur imitari posse, exceptò albò, ut refert Plutarchus in libellò πῶς ἀπίς ἀφαινεῖ τὸν κόλακα τὰ ψιλὰ; seu ut Plinius l. 8. cap. 33. vult, exceptis rubrò & candidò. Videatur quoque Aristoteles 2. Hist. Ælianus l. 2. c. 14. Solinus Polyhist. c. 53. Unde Tertullianus librò de palliò, *Chamæleontem, ait, ludere de suò corio.* Ast, quod jam diximus, præter naturam beatitudinis est instabilitas, ut & præter pervagatam hominum opinionem, quia, ut docet Philosophus, *beatitudinem firmum quiddam, & propriè immutabile esse existimemus.* lib. I. Eth. c. II. Igitur absolum est, fortunam sequi, & ex ejus conversionibus nunc aliquem felicem, nunc miserum judicare. Quanquam enim iis quoque bonis indiget vita humana, quæ dicuntur à fortunâ tribui, non tamen in eis, sed in laudabilibus actionibus, aut turpibus sita est jure præcipui felicitas aut infelicitas. Ut clariùs aliquantò explicemus, instabilitatem non inesse beatitudini, noscendum est, quod jam prædiximus illam consistere in actionibus, virtuti consentaneis, & quidem in optimò gradu talibus. Jam verò actiones istæ in beato insunt ex crebrò repetitâ & confirmatâ

B

con-

consuetudine. Quod verò faciendi quis consuetudinem fecerit, id firmum in eo est ac fixum: sic artes consuetudine in aliquo confirmatæ, firmiter inhærent subjecto: Hinc Philosophus: *Nullâ in re humanâ tanta inest firmitudo, quanta in iis actionibus, quæ cum virtute consentiunt. Nam hæc vel scientiis ipsis stabiliiores ac diuturniores esse videntur.* rationem hanc reddit: quòd in eis maximè *Et assiduè etatem agunt beati, quæ videtur esse causa, cur nullâ unquam oblivione deleantur.* lib. I. Eth. c. II. Neque artes tam stabiles esse videntur, quàm actiones virtuti consentaneæ. Frequentior enim est harum usus, quàm artium, cum assiduè exercentur, videlicet in cibò, in potu, in ingressu, in ipso somnò, omnibusque vitæ muneribus, quia in ipsis artibus, quibus justè vir bonus & ut convenit, utitur. Artium verò usus sæpe intermittitur, non enim sartor semper vestes conficit, astrologus astra contemplatur. Eò digitum intendit Cicero l. 3. de finibus bon. & malor. n. 50. *Virtutis, inquit, non eadem est, quæ artium, ratio: Propterea quòd hæc plurimè continuationis Et exercitationis indigeat: quòd idem in artibus non fit: Et quòd virtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius vitæ complectatur, nec eadem hæc in artibus esse videamus.* Neque est, cur quis dicat, utique teste experienciâ ex bonò virò malus factus, & contrà. Quod & fieri docet Philosophus in Categor. c. 10. §. 25. *quòd ex bonò malus, Et ex malo bonus fieri possit.* Idem aliquo locò testatur Hesiodus. Item exstat longa Disputatio Socratis in eandem sententiam l. I. memorabil. Xenophontis. Sed hîc sermo est de perfectiori quadam virtute, quæ bene penitus in animò infederit, ac radices egerit, eam negamus ullâ fortunæ vi labefactari posse. Qui vir est perfectè bonus, nullo modò abduci potest à virtutis studiò: neque unquam fieri potest, ut aut intumescat rebus secundis, aut dejiciatur adversis.

Hoc

Hoc ipsum dicit Horatius.

*Iustum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor, prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque auster.
Dux inquieti turbidus Adria
Nec fulminantis magna Jovis manus
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae.*

Hic inquam sermo est de perfectiori virtute; illic verò de imperfectiori, quam amitti posse, nihil repugnat; sed virtutem, quæ ad perfectum gradum pervenit, beato excuti posse, maxime repugnat. Quod passim & alij sapientes monent: *Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro durities est, ait Seneca lib. de Constant. Sapientis cap. 3. nec secari adamas, aut cædi vel deteri potest, sed incurrentia ultrò retundit: quemadmodum quedam non possunt igne consumi, sed flammâ circumfusâ, vigorem suum habitumque conservant: quemadmodum projecti altum scopuli mare frangunt, nec ipsi ulla sævitie vestigia, tot verberati seculis, ostentant: Ita sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuriâ, quàm illa, quæ retuli. Ita & Virgilius de Mezentij fortitudine lib. 10. Æneid. canit:*

*Ille vel ut rupes, vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expositaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert crebrisq; marisq;
Ipsa vimota manet.*

§. 2. Quemadmodum autem ex perfectè bono malus fieri nequit, ita nec fortunæ asperitate beatus miser reddi potest, ut qui perfectè bonus est. Retinet enim virtutes, crebrâ consuetudine confirmatas, quacunque incidente fortunâ; in quibus

bus verò miser nemo esse potest, quippe miser est, qui virtutibus privatus est, utpote prudentiâ, justitiâ, temperantiâ & aliis virtutibus. Hinc licet in paupertatis lutô hæreat, tamen paupertatem moderatè fert, & se in eâdem decenter gerit. Qui verò se ita gerit, nequit dici miser: unde Bias in filicem eum dicendum putat, *qui infortunium nequit ferre* teste Diogene Laertiô l. 1. de vitâ ejus. Bona fortunæ, ut sæpe diximus, sunt quidem instrumenta, quibus vir beatus utitur ad virtutis exercitium; interim non statim amittit beatitudinem, si homo destituitur bonis fortunæ, & incidit in calamitates. Nam *sicut boni artifices* (utimur verbis Eustratii Comment. in lib. 1. Eth. c. 10 §. 24.) *Si aliquando vel apta instrumenta, vel materiam habilem, non invenerint: ita beatus, si in fortunam adversam incidit, miser non efficietur.* Operabitur enim, quantum in ipso est etiam ex talibus, & in adversis quoque decorum servabit, agetque semper pro facultatibus optima. Nullum verò est dubium, quin fortunæ prosperitas non parùm beatitudinem augeat, perinde, ut Eustratius dictô locô §. 22. ait, *ut extrinsecus apposita ornamenta naturalem pulchritudinem augere solent.* *Uusus rerum secundarum & pulcher & honestus est, quippe cum & pulchritudinis, quæ ex virtute est, & operationis beati ipsius hominis particeps sit.* Si autem fortuna secunda in insigniter adversam convertatur, in talem scilicet, qualem Priamus expertus est, qui primò captivus abducebatur, deinde quidem aurô redemptus, patriæ restitutus fuit, sed aliquo interjectô tempore, omnes ferè suos filios, quorum quinquaginta numerantur, ab hoste vidit occisos, ubi ipse quoque captivus interficiebatur. Fata ejus describit Virgilius l. 2. Æneid. & Seneca in Troade, qui videantur. Qui inter tales morosas laborat calamitates, nec ex iisdem unquam eluctari potest, cum quidem nemo dicet consummatè beatû;

si ta-



si tamen vir bonus permaneat, & sibi succedentes calamitates
 fortiter gerat, miser tamen dicendus non est. Felicitas enim
 & miseria sunt contraria: hinc Eustratius dicto loco §.14. Feli-
 citatem & miseriam sibi opponi docet, *ut virtus & vitium*; ut
 quæ sibi opponuntur ut contraria. Inter contraria autem sæpè
 datur medium, sive, ut vulgò dicunt, *participationis*, quale est
 tepidum inter calidum & frigidum, nam ex parte est frigidum,
 ex parte calidum; sive *negationis*, quale est cœlum inter cali-
 dum & frigidum, quippe cœlum neque frigidum neque cali-
 dum est. Sic & inter felicitatem & miseriam est medium. Id
 medium obtinet homo, qui Priami colluctatur calamitati-
 bus, & constanter ex virtutibus egit: non beatus est, sed neque
 miser. Paucos albæ gallinæ filios invenias, quibus fortuna
 constanter amica fuerit, nec ulla se illis illatebraverit adversitas.
 Quibus cum maximè adjudicanda sit felicitas, non tamen ea-
 dem denegari potest illis, qui quidem inciderant in calamita-
 tem, sed in calamitatis luctâ non succubuerunt, sed ad melio-
 rem statum emerferunt. Ita comparatas calamitates beatitu-
 dini nihil officere posse, eò colligimus, quòd omne, quod cum
 ab impedimentò aliquo imperitur, sed ab eodem rursus vin-
 dicatur, non desinit tale esse v. gr. artifex non desinit talis esse,
 quando ars ejus morbò impediatur, & ipse, morbò remotò sibi
 rursus permittitur: nec desinit sanitas esse, ut antea morbis
 infestaretur, dummodo in pristinum restitueretur: non desi-
 nit æstas dici calida, quantumvis dies aliqui intervenerint fri-
 gidiores, quippe frigus colore mox superatur. Igitur licet ho-
 mo calamitatibus conflictetur, dummodo ex iisdem elucte-
 rit, virtutemque sartam tectamque conservaverit, potest dici
 beatus; verùm ut rectè monet Philosophus, *ὡς ἀνθρώπου*,
quemadmodum homo l.1. Eth. c.11. (aliàs 10.) Dices, is quidem

beatus dicendus est, qui ex virtute vivit perfectâ, bonisque externis mediocriter instructus; sed addendum est, si ita & deinceps sit victurus, & mortem ejusmodi vitæ convenientem obiturus *Res enim futurae obscuræ nobis sunt.* Verùm cum jam pateat actiones virtutis esse stabiles ac fixas, hoc tantùm adjicimus rarò evenire, ut qui virtuti strenuè deditus fuit, ac bonis externis instructus, in extremam cum Priamò dejiciatur calamitatem, quemadmodum & in tantâ hominum multitudine pauca exempla occurrunt, quæ Priami fortunam renovârunt. Id verò quod rarò fit, non potest obstare, quò minus aliquis, si omnia ex virtute agat, dicatur beatus.

§. 4. Cum jam superiùs in hanc materiam, an posterorum ac amicorum res adversæ vel secundæ ad mortuos pertineant, eosque adficiant, cum Aristotele leviter digitum intenderimus, nunc eandem accuratiùs pertractandam, cum Aristotele reassumere non erit alienum. Durum sane est, negare illas non pertinere ad mortuos, quippe pervagata omnium ferè hominum opinio reclamât, quòd quisque hominum habeat propriam mentem, ab aliis separatam, & quòd immortalis hæc sit, maneatque superstes; quin & sensus ei insit rerum illarum, quæ ad posteros pertinent, eorumque curam gerant. Quò respiciens Philosophus ait: *Fortunam autem secundam & adversam posterorum & amicorum omnino nihil beatum virum attingere, cum valde ab amicitia alienum esse, tum à communibus hominum opinionibus absterrere videtur.* l. i. Eth. c. ii. Inde sane dubitabat Dido nubere Æneæ, nam verebatur manes mariti, ut adeò cogeretur Didonis soror disputare adversus illam opinionem, quod istis, facit verbis, quæ exstant. l. 4. Eneid. & sic incipiunt:

Id cinerem aut manes credis curare sepultos.

De

De Protefilaô, uno ex Græciæ Principibus Poëtæ memorant, petiisse eum, postquam in bellò Trojanò periisset, ut saltem tres horè eidem concederentur, quibus cum Laodamiâ conjugè loqueretur, idque obtinuisse. Ita Hyginus fabulâ 103. utur hæc omnia inter figmenta habenda sint, sapientes tamen iis innuere studebant, res suorum etiam in defunctorum venire curam. Idem, sibi persuasum, existimabat Cyrus, hinc, morti vicinus, filios suos Cambysen & Tanoxarem commonebat mandati sui, ut illud, nisi manes suos dehonestare vellent, efficerent. Verba ejus ita habent: *Equidem filij nequaquam desuaderi mihi inquam passus sum animum, quamdiu mortali corpore contineatur, vivere: posteaquàm ab eo diremptus sit, mori. Nam animum video, his morti obnoxiiis corporibus, quamdiu in eis degat, vitam impertiri, sed ne id quidem persuaderi possum, non sapere animum, posteaquàm ab hoc insipiente corpore separaretur; sed cum à corpore secreta est pura mens & integra, tum eam sapientissimam esse, verò maximè fuerit consentaneum. Quum dissolvitur homo, non est obscurum, ad res sui generis singula commigrare, extra unum animum: qui solus, neque, dum adest, neque dum discedit, cernitur. Animadvertistis nihil esse morti hominis similis somnò. At per somnum maximè hominis animus divinitatem suam declarat, atque etiam futura prospicit, quippe qui tunc, uti quidem apparet, maximè sit liber. Quare si hæc ita sunt, quemadmodum equidem existimo, & si animus hoc corpus relinquit, reveriti animum meum, quæ vos rogo, præstate &c. Neque ab his abhorreere voluit Plato, proinde ita fermocinatur: Hanc ego conjecturam facio, esse aliquem sensum iis, qui mortui sunt, rerum nostrarum: quoniam optimi animi sic fortè divinant, deterrimi autem nequaquam. Validiora verò sunt divinatorum virorum præfagia, quàm aliorum. Epist. secunda ad Dionysium. Quæ opinio, quum & gentiliu animos*

mos pervaserit', scilicet mortuos curam gerere suorum, quos relinquant superstites, vana haberi non debet, etiam si ejus stringens reddi ratio non possit. Nam, ut rectè docet Philosophus lib. 1. ad Eud. c. 6. *Non semper rationes & argumenta sunt querenda, cum ad sensus à nobis efflagitatur huic vel isti placito præbendus, sed plerumque potius, quæ communi hominum sententiâ comprobantur.* Et Cicero 1. Tuscul. Quæst. ait: *In re consensus omnium gentium Jus Naturæ putanda est.* Et Seneca ait Epistola 117. *Multa dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri. Cum de animarum æternitate differimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.* Conferatur Alexander Aphodisiensis librò de fatò & libertate §. 2. p. m. 10. qui sic ait: *Neque enim vanares, neque à verò aberrans, communis hominum natura, quotiescunque de quibusdam rebus inter se consentiunt omnes.* Hæc causa est, cur boni viri futuræ post obitum famæ consulant. Cicero librò 3. de finibus bon. & malor. ait: *Est hominis ingenui, & liberaliter educati, velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris: & futuræ post mortem famæ consulendum est.* Et Plin. lib. 9. Epist. 19. *Omnes, ait, qui magnum aliquid, memorandumque fecerunt, non modò veniâ; verùm etiam laude dignissimos judico, si immortalitatem, quam meruère, victurique nominis famam supremis etiam titulis porrogare nituntur. Non verò propter se, sed propter alios famæ, post mortem duratura, habetur ratio.* Quò & respicit Cicero pro Rabiriò, ita dicendo: *Nemo in Reipublicæ periculis cum laude ac periculò versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur.* Nempe ut posteris tantò majorem concilient favorem, & ipsi posteris ad provehendum publicum bonum incitatiores reddantur. At verò quare ultrà mortem extendendæ famæ studerent

derent in posterorum suorum salutem, nisi res illorum, quoad antenus ad se pertinere existimarent. Ut taceantur testamenta, fidei commissa, substitutiones, tutorum datio- des, quæ omnia frustrâ essent, si res posterorum planè non ad defunctos pertinerent. Eò enim illa directâ sunt, ut illis etiam, post horum obitum, bene sit. Unde viros bonos istæ voces, quibus dicunt alii, se post mortem eventura nihil curare, malè habent. Cicero de iis ita sentit: *Illâ vox inhumana & scelerata dicitur eorum, qui negant, se recusare, quò minus, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur, quod vulgari quodam versu Græco pronunciare solent. lib. 3. de finibus bon. & mal.* Qui versus sine dubiò iste erit, cujus mentio fit apud Suetonium Tranquillum in Vitâ Neronis, & ita latinè redditur: *me mortuò conflagret humus incendiis.*

§. 5. Unde dicere, ea, quæ posteris eveniunt, utcunq; defunctos attinere, non absolum est. Verùm ea, quæ posteris contingunt, non sunt unius generis, alia sunt levia, quæ evenisse, parùm refert: alia sunt gravia & magni momenti. Non illa, sed hæc defunctos attinent. Sed & horum alia est ratio, si accidunt, illis adhuc viventibus, alia, si accidunt illis, vitâ defunctis. Quæ accidunt, illis adhuc viventibus ea acutiùs sentiuntur, quàm quæ accidunt, iis mortuis: nam illa coram cernuntur, & talia majorem sui sensum injiciunt, quàm ea, quæ magnò à nobis remota intervallò percipimus. Exemplo nobis sunt tragædiæ, in quibus magis commovent casûs graviores & rerum lapsûs, v. gr. cædes, exitia, passiones, si in scenâ exhibentur, quàm

C

si re-

si referuntur. Quò digitum intendit Horatius, ita dicens
in re Poeticâ.

*Segnius invitant animos immissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus.*

Hi graviores superstitum suorum casûs leviter tantùm demortuos tangunt, modo quasi umbratili, ut Eustratius dicat; *Illis autem, quod quamvis magnum ex se sit, defunctis tamen parum est ac exiguum.* Hinc illi casûs tanti non sunt, ut mortuis beatitudinem aut adferre, aut eripere queant, quum eorum sensus exiguus sit mortuis, & fortunæ bona non pertineant ad essentiam beatitudinis, sed eidem tantùm ornatum conferant. Tandem beatitudo Practica in hâc vitâ finitur, nisi quod aliqua post obitum umbra ejus supermaneat, nempe in omnium ore concelebratâ famâ, quæ vitam antea actam excipit. Et hæcenus ad beatitudinem præteritam defunctorum aliquid confert prosperitas posterorum in virtute transacta. Ansam enim hos tantò magis celebrandi alii capiunt, quòd vivi non solùm publicæ utilitati velificati sunt, sed & tam egregios ad publicæ salutis studium reliquerint filios. Degeneres autem si reliquerint filios ac posteros, macula quædam ipsorum felicitati adfricatur. Quemadmodum macula adpersa fuit felicitati Severi, quòd diu post mortem ejus, à filiis ejus, boni aliquid Reipublicæ haud venerit, teste Æliô Spartianô. Non tamen tollitur felicitas eorum, quòd culpâ propriâ nihil sit delictum, neque, quòd filii degeneraverint: Vir enim bonus omnia facit pro liberis ritè educandis.

Quòd

Quòd verò degeneraverint, defectuì, naturæ adhärenti,
 adjudicandum est, quæ non semper, eidem vigori permiffa,
 ætatem ferre potest: item proprio liberorum arbitrio,
 quando parentum prosperitate abutuntur ad socordiam,
 & alia vitia, unde manavit illud proverbium: *Heroum filij*
noxæ. In quam rem ita canit Homerus Odyffeâ E:

Æquat rara patrum soboles, sed plurimi ab illis
Degenerant, pauci superant probitate parentem.

Et Horatius alicubi locorum sic: *Ætas parentum peior*
avis, mox est datura progeniem vitio-
siorem.

Tantum.


Lp 329
8

1000

300







A SEXTA
**REMA-
TICORUM,**

Felicitatis
lis,

te DEO,

Ordinis Philosophici,

ALBERTINA,

mini sistunt,

SES

ORGIUS à Göttingen/

Philosoph. D.,

NDENS

AR Kölner/

Pruss.

locô horisq; consuetis

1673.

MONTI,

CI REUSNERI